



P O R T I A Catonis Uticensis filia, vxórumque Bruti fuit: hæc accepta viri morte, cùm ipsa quoq; mori statuisset, nec diu superesse viro quem tantopere diligebat, nemo amicorum assentiebatur: quinimo diligentí cura cùm id prohiberent, hæc ex igne ardentes prunas corripiens, in os sibi coniecit, deinde os, diémque clausit. Plutar. in vita Bruti. Vale. li. 3. & 4. ca. 2. & 6. Appi. li. 15. De hac sic scribit Martialis, li. Epigrammatum primo:

*Coniugis audisset fatum cùm Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis (ait) mortem non posse negari:
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bilit ore fauillas:
In nunc, & ferrum, turba molesta, nega.*

M A R T I A, Catonis filia minor fuit, quæ cùm interroga-
retur, cur demortuo marito priore, alteri non nuberet, respondit
se non inuenire virum qui se magis vellet quàm sua. quo respon-
so ostendit diuitias magis in vxoribus eligi solere quàm pudici-
tiam. Quæsitum est iterum ab ea quis esset illi extremus dies lu-
gendi mariti: is (respondit hæc) qui & extremus vitæ dies mihi
erit. Vide Eras. Apoph. li. 8.